



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

iiij. An, & quid dicendum de pecunia, quæ in capsâ, & domo testatoris
reperitur? Vbi etiam quid dicendum, si ad immobilia, vel pretiosa mobilia
emenda destinata fuerit, vel in banchis, montibus, aut ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

triennium locari, vel alio modo alienari) est, quia res talis (etiam si sit immobilis) modica, seu modici valoris esse censetur, & sic vendi, & alienari sine dicta licentia permittitur, *cap. terrulas, 12. quest. 2.* cui textui neque constitutionem Pauli I. neque decretum Concilij Tridentini *sess. 22. de reformat. cap. 11. & sess. 25. etiam de reformat. cap. 11.* (ubi similiter prohibetur alienatio bonorum Ecclesiasticorum) derogasse, declaravit S. Congregatio, teste Quaranta *cit. num. 41.* & Gauanto in *Man. Episc. verb. Alienatio, num. 22.* Idemque (scilicet prædicto textui neque derogasse) dicendum est de decreto S. Congregationis, quod referebam *dub. 1. num. 4.* cum tale decretum sit conforme Constitutioni Pauli, illius explicatio, & confirmatio pro Regularibus, sublati eorum priuilegiis, ut citato loco dicebam.

Cæterum in dict. *cap. terrulas*, ut res prædicta, tanquam res modici valoris, alienari, vel quocumque alio modo distrahi possit, requiritur præterea quod sit minus vilis, & ad sit alienandi necessitas, & sit disjuncta ab aliis prædiis, vel terris Ecclesiæ: si enim fuerit coniuncta cum illis, ita ut illorum sit pars, sapient naturam illorum quorum est pars, quapropter alienari non poterit sine dicta licentia, sicut non possunt illa, alioquin enim daretur occasio, ut totum ipsum prædium magnum paulatim, & diuisum per partes modicas possit alienari.

Quia tamen in eodem *cap. terrulas, & c. fugitini, 12. quest. 2.* conceditur Episcopis posse alienare seruos fugitiuos, qui reuocati retineri non possunt, sequitur, quod mancipia fugitiua, quæ reuocata retineri non possunt, vendi possint sine licentia Pontificis, vel S. Congregationis, etiam in casu, quo aliàs illa alienari non possunt, iuxta dicta *supra num. 7.* ex eo scilicet, quod sint annexa, vel affixa prædiis rusticis, vel vrbis, tanquam illorum pars. Doctores, quos sequitur Portell. in *dubio regul. verb. Alienatio, in addit. num. 3.* qui subdit, idem ob eandem rationem dicendum esse, si seruus sit ebriosus, latro, vel inhonestus: subdit secundò, quòd si tamen seruus relictus sit ea conditione, ne vendatur, & si venditur, pertineat v. g. ad hæredes testatoris, in tali casu vendi non possit, ita ut si in dicto casu vendatur, pertineat ad hæredes illius. Ratio est, quia lex canonica derogare non debet legi naturali, quæ hic, & nunc præscribit obseruantiam illius conditionis aliàs rationabilis. Quod tamen intellige, nisi obtenta sit dispensatio in dicta conditione.

Petes secundò, an oblationes imagini regularium factæ, sine solennitate iuris alienari possint?

Respondetur ex dictis, posse, nisi sint vota aurea, vel argentea magni valoris, excedentia scilicet summam viginti quinque scutorum aureorum. Sic Bonac. de *alien. bon. Eccles. punct. 2. n. 6.* Riccius *decis. 10. & 102.* Nouarius in *summa Bullar. tit. de alienat. n. 22.* & Diana *part. 4. tract. 4. resol. 223.*

SECTIO II.

An, & quid dicendum de re, quæ valorem 25. aureorum non attingit, vel quæ non durat triennio, nec fructificat?

SUMMARIUM.

- 1 Res, quæ non attingit valorem viginti quinque aureorum, non est pretiosa, & sine iuris solennitate alienari potest.
- 2 Item res, quæ non durat triennio, sed usu consumitur, & non fructificat, quale est vinum, frumentum, Thom. Delbene de Immunit. Eccles. Pars I.

tum, oleum, bordenum, lana, vestes ordinariæ, & similia.

EX dictis sequitur primò, quod pretiosa non sit, & sic sine iuris solennitate alienari possit res illa, quæ valorem 25. aureorum non attingit, quæque non durat triennio, sed usu consumitur, & non fructificat, quale est vinum, frumentum, oleum, bordenum, lana, vestes ordinariæ, vel tritæ, & similia. Sic colligitur ex l. quæ lex, §. ult. Cod. de administrat. tutor. *cap. vestra*, de locato, & docent Gloss. in l. 1. Cod. si aduersus vsucap. Silu. verb. Alienatio, num. 7. Azor tom. 2. lib. 9. cap. 1. quest. 5. Less. lib. 2. cap. 24. dub. 11. n. 62. Nauarr. de alienat. rerum Ecclesiasticarum num. 4. Mol. disp. 465. Genuensis in prax. cap. 60. num. 7. Quaranta verb. Alienatio, num. 28. & Barbosa de potest. Episc. 3. part. allegat. 95. num. 38. & seqq. & nos dicebamus *supra cit. dub. 1. n. 13.*

SECTIO III.

An, & quid dicendum de pecunia, quæ in capsâ, & domo testatoris reperitur? Vbi etiam, quid dicendum, si ad immobilia, vel pretiosa mobilia emenda destinata fuerit, vel in banchis, montibus, aut censibus reperta?

SUMMARIUM.

- 1 Pecunia, quæ in capsâ etiam, & in domo testatoris reperitur, non est res pretiosa; quia hæc res in quotidiano deseruit, & seruata fructum non parit.
- 2 Limita nisi pecunia (auctoritate Prælati Ecclesiæ, vel Monasterij administrantis) ad emptionem immobilium, vel pretiosorum mobilium destinata sit ex relicto, & dispositione alicuius, secus si dispositio sit reuocabilis, & non confirmata iuramento, & superioris præcepto.
- 3 Qualibet destinatio pecuniarum præter supradictas, præsertim reuocabilis, accidentaria censetur, ut sic pecunia conditionem mutare non possit.
- 4 Pecunia si ad supradictum effectum a testatore fuerit relicta, vel redacta ex redemptione census Ecclesiæ, vel ex aliqua re Ecclesiæ immobili, vel mobili pretiosa vendita, ut renouentur in aliqua alia re, non potest sine solennitatibus iuris alienari.
- 5 Pecunia pupilli destinata ad emenda prædia non potest alienari, nisi interueniente solennitate, quæ requiritur ad alienationem immobilium.
- 6 Quod succedit in loco alterius, seu subrogatur in locum alterius, induit conditiones illius.
- 7 Si fundus legatus post mortem testatoris euincatur dato pretio, hoc pretium tanquam subrogatum in locum fundi, debetur legatario.
- 8 Res & actus iudicatur ex suo principio, & in omnibus attendi debet principium & finis.
- 9 Finis tanquam mensura, & forma, ostendit quales sint censenda res.
- 10 Via sicut non facit statum, ita nec sufficit ut secundum ipsam de re iudicemus.
- 11 Pecunia ut supra relicta, & destinata non dicitur de fructibus Ecclesiæ, sed de proprietate illius.
- 12 Prælati non potest disponere de rebus, quæ sunt de proprietate Ecclesiæ, sed solum de fructibus.
- 13 Pecunia est illius, cuius est res, ex qua desumitur.
- 14 Prælati, quod possit disponere de pecunia à testatore ad res immobiles, vel mobiles pretiosas emendas relicta, est valde absurdum.

M 2

25 Limita

- 15 Limitatur secundo ab aliis, nisi pecunia in banchis, montibus, vel censibus posita sit; quia tunc vtopot negotiorum exposita, est fructifera. Secus in sententia auctoris, si nondum sit posita in dictis montibus.
- 16 Limitatur tertio ab aliis, nisi pecunia destinata sit pro futura aliqua necessitate Ecclesie, vel eius patrimonij conservandi; quia tunc in rei immobili, vel mobili pretiosa, vel in patrimonij locum succedit. Secus in sententia auctoris, si non actu iam fuerit applicata.
- 17 Pecunia ut supra relicta, destinata non potest converteri in extinctionem debitorum eiusdem Ecclesie.
- 18 Causa extinctionis debitorum Ecclesie non est causa sufficiens alienandi res Ecclesie, nisi debitum sit vrgens, ita ut illud extinguatur sit necessitas, vel utilitas Ecclesie.
- 19 Res Ecclesie debita necessitate interveniente, alienari possunt, servatis tamen debitis iuris solemnitatibus, qua remittuntur, si necessitas sit adeo vrgens, ut non patiatur eas servari.
- 20 Ad alienandum res Ecclesie non adhibitis debitis solemnitatibus, non sufficit utilitas, & necessitas qualisunque, sed requiruntur evidens.
- 21 Utilitas, vel necessitas examinari debet an sit sufficiens, & debet autorizari, & declarari quod sit ex illis qua iura requirunt, & tunc obtenta a Papa facultate alienandi, poterit res Ecclesie legitime alienari.
- 22 Necessitas, vel utilitas Ecclesie debita extinguendi non potest esse talis, qua cogat debita extinguere, siquidem potest continuari solutio debiti interesse, vel alio modo provideri.
- 23 Semper recipiendum est ad utilitatem Ecclesie, & ideo premitenda sunt solemnitates, qua instituta sunt pro servanda Ecclesia indemni, & procuranda eius utilitate.
- 24 Necessitas facit licitum quod alias non erat licitum, & necessitas non habet legem, debet intelligi de necessitate sic vrgenti, qua non permittat legem servari.
- 25 Necessitas quando comparatur conservationem legis non prevaleat contra legem.
- 26 Pecunia ut supra relicta, & disposita non potest converteri ad emenda mobilia usualia pro Monasterio, vel Ecclesia.
- 27 Pecunia supradicta non potest converteri in censum vitalitium, quia census vitalitius non computatur inter bona immobilia.
- 28 Res, qua sunt in continuo periculo, cum consistant in hominis vita, censentur bona mobilia.
- 29 Census brevis duraturus computatur inter bona mobilia.
- 30 Census redimibilis etiam computatur inter bona mobilia.
- 31 Fundatio census vitalitij tendit ad alienationem, siquidem respicit alienationem, qua sit posita mortis conditione, & licet de presenti sit emptio, de futuro tamen est alienatio.
- 32 Qualitas adveniens qualiscumque diversum ens, & reponit in nova specie, unde res qualibet considerari debet cum sua qualitate.
- 33 Prohibitio alienandi res Ecclesiasticas est ad effectum, ut res conserventur sue Ecclesie, ut illis ipsa Ecclesia, Monasteria, & pia loca sustententur.
- 34 Quando aliquid est prohibitum, censentur etiam prohibita omnia, qua ad ipsum conducunt.
- 35 Fundatio census vitalitij eo tendit, ut Ecclesia remaneat privata & pecunia, & censu.

- 36 Pecunia non habet alium finem, nisi ut consumatur, secus si loquamur de pecunia in montibus, & censibus perpetuis collocata.
- 37 Prohibitio dicta extravagantis licet sit solum de alienandis qua possidentur, complectitur etiam pecuniam, qua habetur pro re immobili, vel mobili pretiosa, quia possidentur.
- 38 Fundatio census vitalitij licet sit quedam emptio, est tamen emptio qualificata, qua continet etiam alienationem per pactum, quod ius acquisitum per emptionem transferatur post mortem.
- 39 Census vitalitius dicitur utilis ex vno capite, & ex alio damnosus Ecclesie, quia tendit ad privationem intra certum tempus necessario futurum, & Ecclesia de presenti exponitur periculo perdendi capitale.
- 40 Utilitas, vel necessitas non sufficit, ut res Ecclesie possit alienari, sed sufficit solum ut possit obtineri a Sede Apostolica licentia de alienando.

Sequitur secundo, quod neque res pretiosa sit, & sic alienari possit pecunia, qua in capla, & domo testatoris reperitur; quia hac vsui quotidiano deseruit, & servata fructum non parit. Sic Molin. citat. disput. 465. ad fin. Azor 2. part. lib. 9. cap. 1. questione 5. Mantica de coniecturis, lib. 9. tit. 3. Riccius in praxi, resol. 56. num. 1. & Barbosa loco supra cit. numero 49. & colligitur ex cap. ciiciens dominus, 88. distinct. & ex Gloss. in l. cum plures, ff. de administrat. tutor. & in cap. nulli, de rebus Eccles. non alien. num. 11.

Limitatur ab aliquibus, nisi pecunia (auctoritate Prælati Ecclesiam, vel Monasterium administrantis) ad emptionem immobilium, vel pretiosorum mobilium destinata sit; quia tunc ratione talis destinationis loco rei immobili, vel mobili pretiosæ succedit; sic Azor. quest. 5. Barbosa num. 41. & Bonacina disputat. 3. de contractu locati, quest. 8. punct. 4. num. 2.

Quam tamen limitationem admitto, si pecunia sic, seu ad talem effectum destinata sit, ex eo quod sic, seu ad dictum effectum ab aliquo relicta fuit (sicuti contingit in pecunia, qua Moniali traditur in dorem, cum ex voluntate dantis Monasterio detur, ut pro Monialis sustentatione perseveret: qua ipsa pecunia, an postea sine assensu Apostolico alienari possit ad immobilia emenda, dicam infra dub. 23. num. 14.) vel si redacta sit ex redemptione census Ecclesie, vel ex aliqua alia re Ecclesie immobili, vel mobili pretiosa vendita ad hoc, ut in alia re immobili, vel mobili pretiosa renouaretur, vel melioraretur, sicuti docent Silu. verb. Alienatio, questione 6. Redoan. quest. 16. Boer. decis. 299. Quaranta verb. Alienatio, num. 3. & 25. Valquez in loco infra citat. num. 45. Genueus in prax. cap. 60. num. 8. & 9. Bonac. de alienat. bonor. Eccles. disput. 2. quest. unic. punct. 2. n. 6. Peyrin. de privileg. Minor. ad Constit. 9. Iulij I. num. 11. Riccius in prax. part. 1. resol. 58. numero 2. Tamburin. de iure Abbat. tom. 3. disput. 13. quest. 1. num. 4. Lezana part. 2. cap. 19. num. 59. & colligitur ex decisionibus Rotæ apud Genueus loc. supra cit. num. 14. & apud Riccium in prax. §. alienatio, decis. 50. 61. 70. 74. & 96. (quidquid in contrarium nonnulli apud Mantica de coniecturis ult. volum. lib. 9. tit. 3. num. 2. Pasqualigum tom. 2. decis. 173. Bordonum resol. 27. num. 57. & Genueus citat. cap. 60. sentire videantur etiam de pecunia sic redacta, & ad emenda immobilia, vel mobilia pretiosa destinata) quia tunc concedo, quod pecunia in locum rei immobili, vel mobili pretiosæ succedat. At secus, si aliter, seu alio modo destinata fuerit, etiam ad prædictos effectus, præsertim destinatione reuocabili

3. reuocabili, vt sine voto, iuramento, & Superioris præcepto: eum omnis alia destinatio præter supra dictas, præsertim reuocabilis, accidentaria censetur, & sic pecunia conditionem mutare non possit. Ita Valquez in opuscul. de redditibus, cap. 2. §. 2. numero 44.

4. Quod autem pecunia, si ad supradictum effectum à testatore fuerit relicta, vel redacta ex redemptione census Ecclesiæ, vel ex aliqua alia re Ecclesiæ immobili, vel mobili pretiosa vendita, ad hoc vt in alia re immobili, vel mobili pretiosa renouaretur, vel melioraretur, computetur inter bona immobilia, vel mobilia pretiosa, & sic non possit sine solennitatibus iuris alienari, tradunt præter Doctores supra citatos, Raphaël Cuman, in l. a. Dino Pio, §. ff. de re iudic. & in l. caera, §. sed separatim, ff. de legat. 1. Roman. in l. quid ergo, §. suras, verb. quid ergo, ff. de co. tr. & vt. act. tutele, & in singulari, 103. & consil. 188. d. b. li. & in l. si ex legati causa, ff. de verb. obligat. Aretin. ibid. verb. addit etiam, Barbat. verb. adde etiam in quantum, Baldus in l. etiam, Cod. de fidei. ommiss. & consil. 14. lib. 2. Fulgosius in l. eadem, Cod. de colut. Alexand. Aretin. & alij ibid. Firmian. tract. de gabel. part. 2. Ioan. Lupus in repet. rub. de donat. inter vir. & vxor. §. 38. verb. & pecunia, Franc. Ripa in l. 1. num. 9. ff. ad S. nau. consil. Tiedel. Tiraquel. de retractu. lignag. §. 1. gl. ff. 7. num. 106. Viuius tom. 2. commun. opin. lib. 7. tit. 1. num. 278. Cenallus commun. contra commun. quest. 315. Pereir. de empt. & vendit. cap. 13. num. 32. Ioseph. Ludouic. tom. 3. tit. de verb. signific. conclus. vnic. ampliat. 3. Gomez §. item Seruiana, num. 21. Instit. de actionib. Menoch. consil. 114. num. 32. Redoan. de rebus Eccles. non alien. quest. 16. num. 13. Boer. decis. 209. Gaill. lib. 1. præf. obseruat. cap. 11. Theaur. decis. 160. num. 6. Riccius in prax. part. 1. resol. 67. num. 5. & Foller. in pr. xi. verb. amonetur bona. Quod præsertim verum est, si debeat conuerti in res immobiles, vt notat Silu. verb. Alienatio, quest. 6. Mol. de iustit. & iur. tract. 2. disput. 465. num. 4. Valquez opusc. de redditib. Ecclesiæ, cap. 2. §. 2. dub. 13. num. 45. Quaranta verb. Alienatio, num. 3. & 25. Bonac. de alien. bonor. Eccles. disput. 2. punct. 2. num. 6. & Rota in vna Veneta nullitatis contractus in fine 13. Nouembris 1602. coram Pamphilio. Et desumitur ex cit. l. a. Dino Pio in suis §. ff. de re iudic. & ex cit. l. quid ergo, §. si de re, ff. de con. r. r. u. & vt. & vbi supponitur, quod pecunia pupilli destinata ad emenda prædia non possit alienari, nisi interueniente solennitate, quæ requiritur ad alienationem immobilium. Et ratio est, quia tunc res repræsentatur in illa pecunia, l. quia qui pretio, ff. de usufruct. siquidem tunc substituitur pecunia pro re, cum qua fieri debet commutatio: quapropter quamvis de pecunia mobilis sit, inducit tamen conditiones rei immobilis, quia succedit loco illius, argum. ex l. si ita constante, ff. de iure dotium, & per ea, quæ tradunt Doctores in l. fin. ff. cod. tit. ul. & in cap. 1. causa 12. quest. 13. Quod autem succedit loco alterius, seu subrogatur in locum alterius, inducit conditiones illius, vt habetur etiam in l. si eum, §. qui iniuriarum, ff. si quis cau. & cap. Ecclesia 1. vt lue pendente, & ibi Doctores. Vnde si fundus legatus post mortem testatoris euincatur dato pretio, hoc pretium tanquam subrogatum in locum fundi, debetur legatario, l. qui sordum, §. 1. ff. de legat. 3.

8. Accedit, quod in omnibus attendi debet principium, & finis; quia res, & actus iudicatur ex suo principio, l. Pomponius, ff. de n. goi. gest. l. procuratorem, ff. mandati, & l. nam origo, ff. quod v. aut clar. est enim principium de substantia principati, & fundamentum illius, vt notant Oldrad. consil. 200. & Tusch. littera P. concl. f. 702. num. 1. Finis verò, tanquam mensura, & forma determinans ostendit, quales sint Thom. Deibene de Immunit. Eccl. Pars 1. l.

censenda res, l. sed & si quid, §. 1. ff. de usufruct. & cap. fraternitatis, §. fin. de frigid. & malefic. Quare cum dicta pecunia habeat pro sui principio rem immobilem, vel saltem rem absque iuris solennitatibus inalienabilem, & sit conuertenda in rem immobilem, vel mobilem pretiosam, debet censi inalienabilis absque dictis solennitatibus iuris, vt pote iudicanda secundum principium, & finem: & quia in illa pecunia consistunt bona Ecclesiæ, non tanquam in statu permanenti, sed tanquam in via ordinata ad terminum, non debemus de ipsa iudicare, vt est in via; quia via, sicut non facit statum, ita nec sufficit, vt secundum ipsam de re iudicemus; siquidem via computatur inter ea, quæ se habent per accidens, & sunt extra terminum: ergo, &c.

Accedit etiam, quod dicta pecunia à testatore ad res immobiles, vel mobiles pretiosas emendas relicta, vel ex redemptione census, vel ex alia re immobili, vel mobili pretiosa desumpta, non est de fructibus Ecclesiæ, sed de proprietate illius: quapropter est destinata ad fructificandum in utilitatem Ecclesiæ, & debet conseruari in ordine ad finem, ad quem est destinata, vel in se, vel in aliis bonis fructiferis: sed Prælatus non potest disponere de rebus, quæ sunt de proprietate Ecclesiæ, sed solum de fructibus, vt ex Clement. 1. in fin. de re. Eccles. non alien. notat Gloss. in cap. fin. §. qu. 1. 3. & in cap. generalis de cunct. in 6. pecunia enim est illius, cuius est res, ex qua desumitur, l. mater, §. 1. C. de rei vendic. l. n. Cod. ac negot. res. & l. si eum seruam, ff. si cert. per. Et esset valde absurdum, quod Prælatus posset disponere de pecunia à testatore ad res immobiles, vel mobiles pretiosas emendas relicta, vel ex redemptione census, vel ex aliqua alia re immobili, vel mobili pretiosa desumpta, cum non potuerit disponere de his, ad quæ est relicta, vel ex quibus est desumpta ipsa talis pecunia.

Limitatur secundò ab alijs, nisi pecunia in banchis, montibus, vel censibus posita sit; quia tunc, vt pote negotiationi exposita, est fructifera. Sic Tiraq. de retractu. lignag. §. 1. gloss. 7. num. 214. Baiard. ad Clarum §. fin. quest. 38. num. 151. Bonacina de alienat. bonor. Eccles. punct. 2. num. 5. & alij, quos citat, & sequitur Barbosa cit. alleg. 95. n. 44.

Quam limitationem etiam admitto, si iam in banchis, montibus, vel censibus posita sit. At secus si nondum sit posita, quandoquidem licet pecunia fuerit collecta ex rebus Ecclesiæ, & multò magis si ab aliquo fuerit Ecclesiæ ad sumptus quotidianos relicta, non est, cur inter immobilia, vel mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, numerari debeat, cum illam in banchis, montibus, vel censibus conseruari, non sit obligatio. Sic Leo in Theaur. fori Eccles. decis. 160. & Riccius decis. 70. in 1. edit.

Limitatur tertio ab alijs, nisi pecunia destinata sit pro futura aliqua necessitate Ecclesiæ, vel eius patrimonij conseruandi; quia tunc in rei immobilis, vel mobilis pretiosæ, vel in patrimonij locum succedit. Sic colligitur ex l. si laicus, §. 1. ff. de legat. 3. & docent Boer. decis. 209. Redoan. quest. 16. Sopran. apud Filiucium tract. 44. cap. 4. quest. 16. num. 25. & 26. & Barbosa cit. allegat. 95. numero 45. Quam limitationem etiam admitto solum modis, quibus explicabam supra limitationem primam, & non aliter.

An autem pecunia ab aliquo ad res immobiles, vel mobiles pretiosas emendas relicta, vel ex redemptione census, aut ex aliqua alia re immobili, vel pretiosa mobili Ecclesiæ desumpta ad hoc, vt in alia re immobili, vel mobili pretiosa renouaretur, possit sine solennitatibus iuris conuerti in extinctionem debitorum eiusdem Ecclesiæ?

Respondetur negatiue; & ita tenet Turrecrem. in *summ. lib. 12. quest. 2.* (qui rectè id extendit etiam in casu necessitatis) Redoan. *de rebus Eccles. non alien. q. 16. num. 15.* Boerius in *cap. nulli. num. 83. de reb. Eccles. non alien.* Riccius in *prax. part. 1. resol. 70. numero 3.* Genuens. in *prax. Archiepisc. cap. 60. num. 14.* & Rota in vna Veneta Nullitatis contractus, 13. Nouembr. 1620. coram Pamphilio. Et ratio ex dictis est, quia cum talis pecunia successerit loco talis rei, scilicet immobilis, vel mobilis pretiosæ, sequitur, quod sicut sine solennitatibus iuris non poterat pro extinctione debitorum alienari talis res, ita nec possit sine iisdem solennitatibus iuris alienari talis pecunia.

18 Quin quando agitur de extinctione debitorum Ecclesiæ, non est causa huiusmodi causa sufficiens alienandi res Ecclesiæ, nisi debitum sit vrgens, ita vt illud extingui sit necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ, sicuti dicemus *infra dub. 9.* & docet Bellamera in *cap. non liceat, vers. tertio probatur, 12. q. 2.* per Authent. hoc. *Cod. de sacros. Eccles.* & hac necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ interueniente, licet iura concedant, alienari res Ecclesiæ, id tamen non concedunt fieri non seruatis debitis solennitatibus, nisi solum quando necessitas est adeo vrgens, vt non patiatu eas seruari, sicuti dicam *infra dub. 23.* & habetur ex *cap. placuit, 12. quest. 2.* & tradunt Cardinal. in *Clement. 1. num. 29. de reb. Eccles. non alien.* Abb. in *cap. fin. de Eccles. adif. vel reparand. Villadiego de legib. q. 11. in fin. Turrecrem. cit. q. 2.*

19 Redoanus *de reb. Eccles. non alien. q. 16. num. 34.* Et

20 non sufficit vtilitas, vel necessitas qualiscumque, sed requiritur euident, vt dicam citata *dub. 9.* & habetur expresse in *cap. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6.* & notant

21 ex communi Couar. *lib. 2. var. resol. cap. 16. num. 8.* Quapropter debet vtilitas, vel necessitas examinari, vt constet, an sit sufficiens, & debet autorizari, & declarari, quod sit ex illis, quas iura requirunt, & tunc obtenta à Papa facultate alienandi res Ecclesiæ, poterit res Ecclesiæ legitimè alienari, iuxta ea, quæ dicuntur *infra cit. dub. 9.*

22 Quod à fortiori militat in casu nostro, quia non adeest necessitas, nec vtilitas, quæ cogat, debitum Ecclesiæ extingui; siquidem potest continuari solutio interesse consueti, vel alio modo debitum extingui; & alias potest cedere in maiorem vtilitatem Ecclesiæ, quod illa pecunia in aliud conuertatur, vt in simili dixit Marian. Socin. *tract. de oblat. lib. 3. num. 15.* Quapropter cum semper respiciendum sit ad vtilitatem Ecclesiæ, præmittendæ sunt solennitates, quæ institutæ sunt pro seruanda Ecclesia indemnè, & procuranda

23 eius vilitate. Et hinc quando dicitur, quod necessitas facit licitum, quod alias non erat licitum, *cap. quod non est licitum, de reg. iur. & quod necessitas non habet legem, l. si quis propter, Cod. de patrib. qui fil. suos distrax.* id intelligi debet de necessitate sic vrgenti, quæ non permittat legem seruari, sicuti dicebam supra, & dicam *infra cit. dub. 23.* & tradit Archidiacon. in

24 *cap. ea enim, §. hortus, verb. constat, 10. q. 2.* quandoquidem si necessitas compatitur conseruationem legis, necessitas non præualet contra legem.

25 Ex dictis sequitur contra Bordonum in *Consil. regul. resol. 127. num. 21.* quod pecunia, de qua supra loquebamur, non possit conuerti ad emenda mobilia vidualia pro Monasterio vel Ecclesia; quia dicta pecunia computatur inter bona immobilia, vel mobilia pretiosa.

26 Sequitur secundò contra eundem Bordonum *loc. cit. num. 56.* quod neque possit conuerti in censum vitalitium, idque propter eandem rationem, saltem si pecunia sit relicta ad emendas res immobiles, vel desumpta ex re immobili ad hoc, vt renouaretur in alia re immobili, siquidem census vitalitius non computatur inter bona immobilia; quia quæ sunt in continuo

periculo, vt amittantur (qualis est census vitalitius, cum consistat in hominis vita) censentur bona mobilia. Angel. in *l. non solet, ff. de pet. hered. Bald. in cap. contingit, de dolo, & contumac. & Cornueus consil. 173. volum. 3.* tum quia census breui duraturus computatur inter bona mobilia. Barbat. *consil. 22. lib. 3.* Menoch. *de arbit. lib. 2. centur. 3. casu 233. num. 2.* Federic. de Senis *consil. 12. num. 5.* Feder. Martin. *de iure cens. cap. 1. num. 101.* & Duardus *de censib. in proem. Consil. Pij V. quest. 10. num. 40.* Ergo & census vitalitius qui etiam est breui duraturus, vt potè de sui natura non perpetuus, sed sequens vitam hominis, & sic non stabilis, vel immobilis, sed temporalis, & mobilis, qualis est vita hominis, super qua fundatur ipse census: tum quia census redimibilis etiam computatur inter bona mobilia. Anton. Gomez *de censib. cap. 3. n. 4.* Mattienzus *l. 2. gloss. 1. n. 83. tit. 9. lib. 5. noua Recopil. García de benefic. part. 2. cap. 5. num. 95. in fin. & Molin. de primogenit. lib. 2. cap. 10. n. 3.* ex eo, quia non habet statum stabilem, sed est temporaneus: ergo & census vitalitius, cum fundetur in hominis vita, quæ nec habet statum stabilem, sed est etiam temporanea.

31 Confirmatur, quia fundatio census vitalitij tendit ad alienationem, siquidem respicit alienationem, quæ fit posita mortis conditione, quapropter licet de præsentis sit emptio iuris percipiendi fructus ex re fructifera, est tamen etiam alienatio pro tempore futuro: cum ergo res iudicanda sit ex euentu, & sine, ad quem ordinatur, *l. sed & si quid, §. 1. ff. de usufruct. & cap. fraternitatis, §. fin. de frigid. & malefic.* sequitur, quod fundatio census vitalitij non tam sit dicenda emptio, quam alienatio pecuniæ, atque adeo fieri prohibita per extrauag. *Ambitiosa.*

32 Confirmatur secundò, quia (cum qualitas adueniens qualificet diuersum ens, & reponat in noua specie, §. præterea, *Instit. de inutil. stipulatione, cap. cum Martia, §. quesuisti, de celebrat. Missar. & cap. statutum, de elect. in 6.* & tradunt Hippolyt. *singul. 20.* Menoch. *de reuer. poss. §. remedi. 6. num. 8.* Surdus *consil. 321. num. 12.* & Gomez *§. personam, Instit. de actionib.* (sit quod res qualibet considerari debeat cum sua qualitate; atque adeo, quod census considerari debeat, non præcisè vt emptio quædam, neque vt emptio cuiuscumque census, sed vt talis census, scilicet vitalitij; quod est esse emptionem iuris extinguibilis ad tempus in fauorem venditoris, & continet reuersionem iuris acquisiti per emptionem ad ipsum venditorem; quod sanè est alienatio, quia dicit translationem iuris ipsius Ecclesiæ finita hominis vita, super qua fundatur census: & de hac translatione fit pactum de præsentis, quando instituitur census.

33 Confirmatur tertio, quia prohibitio alienandi res Ecclesiasticas eò tendit, quod res conseruentur suæ Ecclesiæ, vt illis ipsæ Ecclesiæ, Monasteria, & pia loca sustententur, extrauag. *Ambitiosa, de reb. Eccles. non alien.* At per fundationem census vitalitij res non conseruantur suæ Ecclesiæ, vt illis ipsæ Ecclesiæ, Monasteria, & pia loca sustententur, sed constituuntur in statu, vt infra certum tempus debeat Ecclesia necessariò remanere iis priuata: ergo fundatio census vitalitij ex pecunia saltem, quæ succedit loco rei immobilis, est prohibita alienari per dict. extrauag. *Ambitiosa*: quia quando aliquid est prohibitum, censentur etiam prohibita omnia, quæ ad ipsum conducunt, *l. ratio, ff. de sponsalib. l. pupillus, §. si per interpositum, ff. de auctor. tutor. l. fin. Cod. de reb. alien. non alien. cap. præterea, de offic. deleg. & cap. cum quid prohibetur, de regul. iur. in 6.* fundatio namque census vitalitij eò tendit, vt Ecclesia remaneat priuata & pecunia, & censu.

34 Obiicies: pecunia non est de iis, quæ prohibentur alienari, cum non sit res immobilis, nec res pretiosa mobilis;

mobilis; siquidem non potest ita inferuire, vt seruando seruetur, quia non habet alium vsum, nisi vt consumatur: ergo, &c.

Respondetur, si loquamur de omni alia pecunia, concedo, si loquamur de pecunia, de qua supra dicebatur, nego; quia cum talis pecunia, vt patet ex dictis, succedat loco rei immobilis, vel mobilis pretiosae, prohibetur distrahi tanquam res immobilis, vel mobilis pretiosa: quo stante alienatio ipsius æquiuenter esset alienatio rei immobilis, vel mobilis pretiosae. Neque obstat, quod res immobilis, vel mobilis pretiosa emenda non possideatur, & prohibitio sit solum de alienandis, quæ possidentur. Respondet enim, quod possidetur ipsa pecunia, quæ habetur pro re immobili, vel pretiosa. *Amilla verb. Alienatio, num. 4. Conrad. pari. 2. resp. cas. conscient. quæst. 25. Barbosa de potest. Episcop. part. 3. a. egat. 95. num. 40. Homobon. part. 4. resp. 44. & Bonacina de alien. bonor. Eccles. disp. 2. quæst. unic. punct. 2. n. 5. qui testatur de communi.*

Obiicies secundò, fundatio census vitalitij non est alienatio, sed emptio iuris exigendi fructus super re fructifera: ergo non est de prohibitis. Consequentia probatur, quia non prohibetur pro Ecclesia emptio, sed tantum alienatio bonorum Ecclesiæ.

Respondetur, quod licet fundatio census vitalitij sit quædam emptio, est tamen emptio qualificata, quæ continet etiam alienationem, siquidem continet pactum, quod ius acquisitum per emptionem transferatur post mortem illius, super cuius vita fundatur, ad venditionem. Aut saltem ordinatur ad alienationem, quod sufficit, vt prohiberi comprehendatur in dicta extrauag. *Ambrosia.*

Obiicies tertio, census vitalitij, licet extinguatur morte contrahentis, est tamen utilis Ecclesiæ, siquidem utilitas attenditur tempore contractus. *Gloss. in cap. ad aures, verb. Tunc, de reb. Eccles. non alien. Genues. in prax. Archiepisc. c. 89. n. 3. & Bonac. de alien. bonor. Eccles. disp. 2. quæst. unic. punct. 3. n. 2. quinimò adest etiam utilitas pro tempore futuro, quia durante censu percipiuntur fructus.*

Respondetur, quod fundatio census vitalitij, licet de presenti sit ex vno capite Ecclesiæ utilis, est tamen ex alio capite etiam de presenti ei damnosa, tum quia absolute tendit ad priuationem intra certum tempus necessariò futurum; tum quia de presenti Ecclesia exponitur periculo amittendi capitale, & fructus ad breue tempus, cum vita hominis sit in continuo, & quotidiano periculo. Vnde bona certa Ecclesiæ commutantur in spem incertam fructuum percipiendorum ex tali censu.

Accedit, quod utilitas, vel etiam necessitas non sufficit, vt res Ecclesiæ possit alienari, sed sufficit solum, vt possit obtineri à Sede Apostolica licentia de alienando, sicut patebit ex iis, quæ dicam *infra diffusè dub. 9.*

SECTIO IV.

An, & quid dicendum de grege ouium, vel de armento bouum, & similibus?

SUMMARIUM.

- 1 Inter mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, numerari debet: grex ouium, & caprarum, armentum bouum, præsepium equorum, & similia.
- 2 Secus dic de fructibus gregis, & armenti, & similibus, quia hæc non computantur inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt.

- 3 Fructus gregis, armenti, & similibus alienari possunt sine iuris sollemnitate, sicut alienari possunt fructus agrorum.

Sequitur tertio, quod è contra inter mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, numerari debet grex ouium, & caprarum, armentum bouum, præsepium equorum, & similia; quia est quid magni valoris, & per continuam fæctum multiplicationem conseruari potest. Secus dicas de fructibus gregis, armenti, & similibus; quia hæc non computantur inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt; sicut nec computaretur fructus agrorum: quapropter hæc alienari poterunt sine sollemnitate iuris, sicut sine sollemnitate iuris alienari possunt fructus agrorum. Sic Doctores communiter. *Mol. tract. 2. disp. 456. in fin. Redoanus de alien. q. 2. Quaranta n. 25. Soprani c. 4. q. 19. n. 24. & alij passim. Vide quæ dicebantur supra dub. 1.*

SECTIO V.

An, & quid dicendum de arboribus.

SUMMARIUM.

- 1 Inter bona immobilia numerari debent arbores, si prædio sint necessaria: ita illis sublati prædium notabiliter deterioretur.
- 2 Secus dic si non sunt necessaria, vel prædio damnum aliquod inferant, vel loco illarum reponantur alia fructifera, vel magis fructifera.
- 3 Conseruari posse non debet id, cuius conseruatio Ecclesiæ potius damnosa est.
- 4 Prælati scindens arbores, easque vendens in utilitatem Ecclesiæ, non peccat in casu, quo talis scissio damnum prædio non inferat.
- 5 Damnum in scissione arborum non consideratur, si in prædio relicta sint arbores sufficientes.
- 6 Idem dicas si scindat arbores cædvas, quales sunt, quæ tantum utiles sunt ad lignandum.
- 7 & 8. Silva cædua, nemus, arundinetum, & similia censentur potius fructus prædij, quàm prædium: & ideo nullam exigunt sollemnitate in eorum alienatione. Secus de silua, arboribus vel loco consito in prædio ad amœnitatem prædij, & non consito ad lignandum, nisi fieret transmutatio in quid aliud magis fructiferum.
- 9 Quod dixi de incisione arborum, idem dic de incisione vineæ, vel alterius rei similis.

Sequitur quarto, quod etiam inter bona immobilia numerari debeant arbores, si scilicet prædio sint necessaria, ita illis sublati prædium notabiliter deterioretur. Secus, si non sint necessaria, v. g. sint vel ferè mortuæ, vel ita detonsæ, vt potius prædio damnum inferant, vel loco illarum reponantur alia fructifera, vel magis fructifera, quia hæc omnia utilia sunt, & secundum regulas agriculturæ. Et dici non debet, conseruandum esse id, cuius conseruatio Ecclesiæ potius damnosa est. Quapropter neque peccabit Prælati, si scindat arbores, easque vendat in utilitatem Ecclesiæ, in casu, quo talis scissio prodest, vel saltem damnum prædio non inferat: sicut de facto non inferat, si in prædio sufficientes arbores relinquat. Idemque dic, si scindat arbores cædvas, quales sunt, quæ tantum utiles sunt ad lignandum, vt est silua cædua, nemus, arundinetum, & similia, quia hæc censentur potius fructus prædij, quàm prædium: quapropter poterunt sine sollemnitate iuris scindi, & alienari.